

4.40
ANDERS COLLIN

Latinan
kielen
KÄÄNNÖSTEHTÄVIÄ

SEKÄ LATINANKIELEN
YLIMÄÄRÄISET
YLIOPPILASKOKEET

OTAVA

1966

Senatores Romani olim una cum filiis, qui nondum septendecim annos compleverant, in curiam ire solebant. Accidit quondam, cum in senatu de magna quadam re disputaretur, ut adesset filius Papirii senatoris. Res illa cum diu tractata esset, tandem in posterum diem dilata est, simulque placuit senatoribus, ne quis de ea palam loqueretur, priusquam decreta esset. Cum Papirius puer domum revertisset, mater eum interrogavit, quidnam patres in curia egissent. Puer respondit id sibi dicere non licere. Silentio eius mater fit audiendi cupidior. Eandem rem igitur iterum ac vehementius quaerit. Postremo puer callidum consilium invenit. Actum esse in senatu dixit, utrum videretur rei publicae utilius unum virum duas uxores habere an unam mulierem duobus viris nuptam esse. Hoc ubi illa audivit, perturbata domo egreditur et ad amicas currit. Brevi per totam urbem de hac re fama perfertur.

Venit ad senatum postridie magna mulierum multitudo; quae lacrimantes petunt atque orant, ut potius una mulier duobus viris nubere quam ut uni viro duae uxores darentur. Senatores, quidnam verba ista mulierum sibi vellent, valde mirabantur. Tum Papirius puer in curiam ingressus rem omnem, sicut fuerat, narravit. Senatus autem fidem atque ingenium pueri magnopere laudavit atque consultum fecit, ne posthac pueri cum patribus in curiam venirent, praeter illum unum Papirii filium, qui singularem in puerili aetate et tacendi et loquendi prudentiam praestitisset.

23.1.1971 } COPPA SLUT
 } GND

} Il diritto
Kunniyttäen
Juhani Tanager

Jonna Kommu